



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An in Episcopum, vel Prælatum eligi possit extraneus, qui non est è corpore, seu Collegio Ecclesiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fuit, non potest iterum eligi (nondum plenè curatus, aut emendatus, aut dispensatus) nec ad eandem, nec ad aliam Prælaturam; si verò electio, aut nulla fuit, aut cassata fuit, non ob vitium Personæ, sed ob aliam quamcumque causam, ob modum v. g. seu formam non servatam &c. tum iterum eligi potest ad eandem Prælaturam, prout habetur in *c. super eo 12. h. t.* excepto casu Simonie, de quo infra.

5. Ineligibilis etiam est ad Prælaturam, qui plura beneficia incompatibilia, electionis tempore, absque dispensatione pontificia, simul retinet *c. dudum 54. h. t.* ita ut ejus electio ipso jure sit irrita, tanquam indigni, & vitæ ac moribus improbi; quod etiam de jure novo juxta *extravagantem. Execrabilis Joan. 22. de prabend. verum est.*

## §. VI.

*An in Episcopum vel Prælatum eligi possit Extraneus, qui non est à Corpore, seu Collegio Ecclesie.*

**R**esp. Conveniens quidem esse, ut unus è gremio sive Capitulo Ecclesie eligatur, si idoneus adsit, ita ut non possit invitis Canonicis extraneus obrudi, cum Ecclesie necessitatibus meliùs provisum videatur, si unus ex illius gremio eligatur, cui suæ Ecclesie necessitates magis cognitæ sunt, absolute tamen hoc necesse non est, cum possint Canonici favori pro se introducto cedere, ut ait Pontifex in *c. cum nobis 19. h. t.*

## SECTIO. III.

*De preparatoriis ad Electionem, sive de illis, quæ ad illam præcedere debent.*

## §. I.

*Quenam ante Electionem præmittenda, & observanda sunt?*

**R**equiritur priusquam ad Electionem deveniatur, ut Ecclesia illa suo Præsule viduata sit, sive ut vacet, non tantum de facto, sed de jure *c. quia propter 42. h. t.* ita ut vivente Prælate, quamvis de vita illius jam conclamatum sit, nihil collegialiter tractare possint Capitulares, quod ad futuram electionem necessarium est, prout sumitur ex *c. bone 36. h. t.* & non tantum talis tractatus, ante mortem Episcopi factus ipso jure nullus sit, ob defectum potestatis in Capitularibus, sed etiam electio, vi talis tractatus ante mortem habiti, post mortem consequens, annullari, & cassari debeat, ceu facta contra juris dispositionem: & quamvis decens non sit, ut de electione successoris tractetur à Capitularibus collegialiter, ante sepulturam Prælati defuncti, juxta *relat. c. bona*, absolute tamen hoc fieri potest, cum Ecclesia absolute vacet, & si necessitas urgeat, licite etiam fieri potest.

## §. II.

*De vocandis Capitularibus ad Electionem.*

**V**ocandi sunt, cum Electio fuerit celebranda, omnes absentes, ut compareant, & sint præsentés, sive ex communi